Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 169
Quelle:
Copyright:

depoſcens. ut ſi quid extra lineam rectitudinis in illa poſitum inuenerit non magiſtro imputet ſed meę tarditatis ignauię. miſericorditer tamen mihi compaſſus ueniam tribuat poſtulanti. Nec enim tutum eſt aliena damnare. illi qui propria uirtute ſe non poteſt conſeruare. Sciat tamen uoluntatis mihi fuiſſe. fidei rectitudinem nusquam deſeruiſſe. Si quid autem fortaſſe in eo dignum inuenerit. agat deo gratias. et oratione profuſa magiſtro cuius hęc labore auſi fuimus. apud deum perpetuam beatitudinem optare meminerit.

Hunc Librum Expoſuit Hrabanus Jure Sofiſta.
Strabus Et Impoſuit Friuolus Hos Titulos.

Habes igitur *Walafridi Strabi* juvenis Monachi *Divitis Augiae* ſtudiorum cauſſa *Fuldam* miſſi adoleſcente Seculo IX. Excepta ex ore Magiſtri, diverſa cum ab hujus *Commentario in Exodum*, qui proſtat *Opp.* T. II. *Colon.* 1626. p. 84. tum a *Walafridi Gloſſa* dicta *ordinaria*, cujus tamen veluti Rudimenta haberi poſſunt. Eorum initium eſt: *Exodus exitus dici poteſt. quia greci odum* (ὁδον) *uiam. odoporicum* (ὁδοιπορικον) *uiaticum vocant; Hebraice autem. elesmoth* (אלה שמות) *idem liber vocatur. = Erant igitur omnes animę eorum quę egreſſę ſunt et rel. Quod hic. LXX. tantum ponuntur. apud lucam uero LXXV. uel apud LXX interpretes. illa ratio eſſe uidetur. quod apud hebręos moris eſt in maiori numero minorem ſiquidem amplecti* &c. Finis pia precatio, ut *ſupra* in *Geneſi*, quae clauditur: *et humanę fragilitatis contagione emundatum. quandoque ad tabernaculum tuum peruenire concedas. quod beati inhabitant. et te laudabunt in ſecula ſeculorum. Amen.* En acceſſionem ad Popularis noſtri *Walafridi* opera, quam nullibi memoratam, minus editam ſciam.

III. *fol.* 115. p. 2. *Prologus Vualafridi Strabi In Leuiticum.* Incipit: *Sequentis libri id eſt leuitici breuiſſimam annotationem ego ſtrabus* &c. Nacti ſunt Ἐπιτομὴν hanc Editores *Rabani Colon.* eamque T. II. poſt ipſum *Rabani Comment. in Levitic.* p. 296. inſeruere. Ejus initium: *Commentum Strabi In Leuiticum. Vaicra* (ויקרא) *id eſt leuiticus. quaſi oblatoribus* (l. oblatorius) *uel ſacerdotalis liber* &c. In *Editis* rurſus in piam Precationem definit, quae tamen abeſt a *Cod.* qui finit: *ſine ulla mutatione. ex debito in hoſtiam offeretur. cetera ut ſupra. Explicit in Leuiticum.*

IV. *fol.* 151. *Incipit Expoſitio Uualafridi In Librum Numeri.* Nulla hic Praefatio, ſed initium: *Loquutus eſt Dominus ad Moyſen in Monte Synai. in Tabernaculo foederis. Synai interpretatur rubus. De tabernaculo foederis autem loquutus eſt dominus legislatori ut meminiſſent ſe in mandatis domini hi quibus dicebatur incedere debere* &c. Finis pius rurſum